S. D. N.

CLEMENTIS

DIVINA PROVIDENTIA PAPÆ VIII.

Omnibus & ſingulis Collegialibus Baccalaureis Collegij Seraph. D. Bonauenturæ à fel. rec. Sixto V. erecti pro eorum laurea, & indemnitate, & claritate, & amplificatione Doctoratus declaratio, & ſpeciale Priuilegium.

Impetratum ab ILL.MO ET R.MO D. *ALEXANDRO Peretto S. R. E. Cardinali Montalto, & Vicecancellario, eiuſdem Collegij Protectore.*



ROMAE, Ex Typographia Reu. Cam. Apoſt. M.DC.VI.

CLEMENS PAPA VIII.

Ad perpetuam rei memoriam.

STudioſis omnibus, & præſertim Religioſis, vt debita laboribus eorum præmia conſequantur, fauere ſolemus, ac eorum indemnitati libenter conſulimus, prout in Domino ſalubriter conſpicimus expedire. Sanè cum ſicut accepimus Baccalaurei Collegiales Collegij Sancti Bonauenturæ à fe. rec. SIXTO Papa V. Prædeceſſore noſtro in Vrbe apud Conuentum Sanctorum duodecim Apoſtolorum Ordinis Fratrum Minorum Conuentualium Sancti Franciſci inſtituti, primùm vſque ad numerum quadraginta ex doctioribus Baccalaureis totius Ordinis per dilectum filium Miniſtrum Generalem eiuſdem Ordinis, & deinde ex dictis quadraginta, viginti præſtantiores per examinatores ad hoc deputatos, præuio rigoroſo examine eligi ſoleant; iíq; integro triennio antequam Magiſterij gradum conſequantur in dicto Collegio Sacrarum literarum Studijs incumbere teneantur; nec poſſint intra triennium huiuſmodi ad Doctoratus gradum quoquomodo aſpirare; interim tamen alij eiuſdem Ordinis Baccalaurei, & ij for-

ſan qui à numero electorum tanquam parum idonei, excluſi fuerant, alibi magiſterij gradum aſſequantur, qui poſtmodum ſupradictis Baccalaureis Collegialibus Sancti Bonauenturæ poſt ipſos ad Magiſterij gradum promotis præcedere debere prætendant; Quod in maximum eorundem Collegialium, qui niſi in Collegium prædictum aſcripti fuiſſent, ante illos eundem gradum conſequi potuiſſent, vergeret; Vnde ſi talis admitteretur conſuetudo, nulli, aut pauci eiuſdem Ordinis Baccalaurei ad Collegium prædictum accedere vellent. Quare nos eorundem Collegialium indemnitati conſulere, ac illos ſpecialibus fauoribus, & gratijs proſequi volentes, & eorum ſingulos à quibuſuis excommunicationis, ſuſpenſionis, & interdicti, alijsq; Eccleſiaſticis ſententijs, cenſuris, & pœnis à iure, vel ab homine, quauis occaſione, vel cauſa latis, ſi quibus quomodolibet innodati exiſtunt, ad effectum præſentium dumtaxat conſequendum, harum ſerie abſoluentes, & abſolutos fore cenſentes, ſupplicationibus dilecti filij noſtri Alexandri Sancti Laurentij in Damaſo Diaconi Cardinalis Montalti nuncupati, Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Vicecancellarij, eiuſdem Collegij Protectoris nobis ſuper hoc humiliter porrectis, inclinati, omnibus, & ſingulis eiuſdem Collegij Sancti Bonauenturæ Collegialibus Baccalaureis præteritis, præſentibus, & futuris,

turis,

turis, vt ex ipſa die, quo quiſque ipſorum in Collegium prædictum aſcriptus fuerit, omnibus, & ſingulis eiuſdem Ordinis Fratribus, qui poſt eorum in dictum Collegium admiſſionem intra triennium, quo ipſi Collegiales in Collegio permanſerint, Magiſterij gradum conſequuti fuerint, vel deinceps conſequentur, in quibuſcunq; locis, ceſſionibus, proceſſionibus, & actibus, tàm publicis, quàm priuatis præcedere, ac præferri in omnibus, & per omnia poſſint, & debeant, perinde, ac ſi ex ipſa die ſuæ in dictum Collegium admiſſionis, quo quilibet ex ipſis Collegialibus ad Magiſterij gradum promoti fuiſſent, auctoritate Apoſtolica, tenore præſentium, concedimus, & indulgemus, ſicq; ab omnibus cenſeri, ac ita per quoſcunq; eiuſdem Ordinis Superiores, ac alios Iudices ordinarios, & delegatos iudicari, & definiri debere, ac irritum, & inane quicquid ſecus ſuper his à quoquam quauis auctoritate attentatum forſan eſt hactenus, vel in poſterum contigerit attentari. Non obſtantibus quibuſuis Conſtitutionibus, & ordinationibus Apoſtolicis, ac eiuſdem Ordinis etiam iuramento, confirmatione Apoſtolica, vel quauis firmitate alia roboratis ſtatutis, & conſuetudinibus, priuilegijs quoq; indultis, & literis Apoſtolicis in contrarium præmiſſorum quomodolibet conceſſis, confirmatis, & approbatis. Quibus omnibus, & ſingulis eorum te-

nores

nores præſentibus pro expreſſis, & ad verbum inſertis habentes, hac vice dumtaxat ſpecialiter, & expreſsè derogamus, cæterisq; contrarijs quibuſcunque. Datum Tuſculi ſub Annulo Piſcatoris, die tertia Octobris Milleſimo ſexcenteſimo primo, Pontificatus Noſtri Anno Decimo.

M. Veſtrius Barbianus.